


MARTIĀLIS [40-104 d.C] Epigramma VII 61:  
*Rōma nunc urbs, nūper magna taberna* (vv.1-4; 9-10)




Titus Flāvius Domitiānus (51-96 d.C)  
 [= Caesar Domitiānus Augustus **Germānicus**, 81-96 d.C]

Abstulerat tōtam temerārius īnstitor urbem  
 inque suō nūllum līmine līmen erat.  
 Iussistī tenuēs, Germānice, crēscere vīcōs,  
 et modo quae fuerat sēmita, facta via est.  
 [...]  
 Tōnsor, caupō, cocus, lanius sua līmina servant.  
 Nunc Rōma est, nūper magna taberna fuit.


**abstulerat plusq** (< auferre) : sūmpserat (< sūmere)  
**tōtus a um** : **tōta urbs** ↔ pars urbis  
**urbs urbis f** = magnum oppidum  
**temerārius adi** = quī nōn timet  
**līmen -inis n** = id quod sub foribus est et in quō  
 SALVE scrīptum est (vidē cap. XXII)  
**iussistī perf ind** (<iubēre) = imperāvistī (<imperāre)  
**tenuis -e adi** parvus ↔ crassus  
**crēscere** = māior (*comp* magnus) fierī, factus esse  
**vīcus -ī m** = pars urbis quae multās domōs habet  
**modo adv** = paulō ante  
 et quae modo **fuerat** (*plusq ind* <sum)  
**sēmita -ae f** = tenuis via  
**caupō -ōnis m** = tabernārius quī vīnum vēndit  
**sua līmina servant** = nōn in mediā viā, sed domī  
 suae sunt  
**nūper adv** = modo, paulō ante




īnstitor = tabernārius  
 quī viā ambulat



līmen-inis *n*



foris -is *f*



rāmus -ī *m*



tōnsor -ōris *m*



cocus -ī *m*



lanius -ī *m*

Discipulōs rogāre possumus epigramma iterum scribere dīcereve orātiōne solūtā aliisque verbīs, ex. gr.:



[Antīquus vīcus Barcinōnensis]

«Tabernariī quī temerariī viā ambulānt, tōtam urbem sūmunt et līmina in suō locō nōn sunt, quia tabernas in mediā viā pōnunt.

Caesar autem Domitiānus Augustus Germānicus imperat: «Vīcōs māiorēs...!» et nunc via est, ubi paulō ante sēmita.

Tabernariī ambulāntēs iam domī suae sunt et nunc Rōma nōn magna taberna, sed urbs est».

« TEMERARII INSTITORES MODERNI »



[Instītōrēs per Gādītānās viās]



[Vīcus Mediolanensis]



[Vīcus Lūsītānus]



[Vīcus « San Telmo » in Argentina]